aquaꝝ:nō formaliter ſz effectiue:inq̄tū habet virtutem causandi diuersitatem generationis ⁊ corruptionis:⁊ cuiuscunq; alterationis seu mutationis:p accessum ⁊ recessum per diuersas stellaꝝ seu cōstellationū influentias: vñ ꝺ firmamentū sic intellectū quasi mediū inter p̄dictas aq̄s ⁊ quodāmodo pticipans vtriusq; similitudinē extremoꝝ distinguit aq̄s ab aquis. Alij ẋo dicunt.ſ.q firmamentū die ſcḋa factū intelligaſ illa pars aeris q̄ condenſaſ in nubes: ⁊ dicit firmamentū ꝓpter ſpiſſitudinē aeris in pte illa.ſz qz hec expoſitio licet ab Aug⁹.ſup Geñ.cōmendeſ inq̄tū nihil dicit cōtra fidem:⁊ qꝺ ꝓponit ꝓmpto documento credi pōt:qz tñ remota videſ a planiori ſenſu lr̄ali:ſm quē tradiſ plane q in q̄rta dic poſuit deꝰ luminaria ⁊ ſtellas in firmamēto celi: idcirco p̄ma expoſitio videſ verior. Qz aūt ſequiſ. Vocauit deꝰ firmamentū cēlū:intelligendū eſt ſm Ra.Moy. q vbi iſta vocatio dici habeſ intelligendū eſt eſſe aliq̄d aliud:qꝺ ꝺ noīe p̄ncipaliꝰ vocaſ:ſz appropriaſ ad minꝰ p̄ncipale ꝓpt vſum cōem hominū:ſicut dies p̄ncipaliter ꝺr ſpaciū.xxiiij.horarū put ibi:Factū eſt veſpe ⁊ mane dies vnꝰ. ſz cōmuniꝰ in vſu latio lucis seu ſolis ſup terrā dies ꝺr: vñ deus vocauit lucē diē. Similiter in ꝺ loco celū p̄ncipaliꝰ ſignificat oēs orbes ſcz nouē ſpheras ⁊ etiam empyreū ⁊ celos inferiores prout ibi:In p̄ncipio creauit deus celū. vt ſupra expoſitū eſt.ſz cōmuniori mō celum dicit ſidereū tñ:⁊ ideo vocauit firmamētū celū. Similiter nō ſolū arida ſz totū terre elemētū p̄ncipaliꝰ dicit terra: put ibi:Terra aūt erat inanis ⁊ vacua.ſz cōmuniori mō loquēdi arida ꝺr terra:⁊ ideo vocauit deꝰ aridā trā. De ope tertie diei q̄liter intelligaſ:hoc:Cōgregatio aquaꝝ in vno loco:nō modicā videſ hr̄e difficultatē.cū em̄ tra ſm ſue nature grauitatem abſolutā vndiq; debeat eē aquis coopta:nō videtur aliqs locꝰ ſup terrā ad quē ſeu in q̄ aq̄ naturaliter ſint cōgregate:ſic vt terra diſcoopieſ:ad quā difficultatē tollendā:diuerſi varie ſcripſerunt. Quidā em̄ dicūt q terra p̄buit aliquas ptes concauas in q̄bus aque cōfluentes ad ptes terre que nunc eſt diſcoopta reciperenſ: ſz ꝺ nō videtur poſſe ſtare. Rā elementū aque eſt multo rariꝰ q̄ terra:ſicut ⁊ aer multo rarior ē aq̄:vt patet ad ſenſum.nā modica q̄titas aque in vapoꝛē aereū p opationē ignis reſoluta multo maioꝛē q̄titatē aereā facit. vñ q̄dam pbi dicūt elementū aque in decupla q̄titate eſſe maius terra. Similiter ⁊ elementū aeris in multo maiori ꝓportione excedere q̄titatem elementi aq̄:,put ſatis patet ꝟ ſideratī loca ,ppria elementorū:q̄ q̄tomagis recedunt a centro verſus circūferentiā:tanto ſunt multo maioris capacitatis:nō q̄ tra hz capacitatē recipiendi in cōcauitatibꝰ ſuis tantā q̄titatē aq̄ q̄ta erat ſup totā terrā habitabilē:q̄ eſt q̄rta ps fere totiꝰ orbis ſm aſtronomos. Vñ alij dixerunt q aq̄ añ eius cōgregationem erat valde nebuloſa:q̄ pꝰ cōgregationē denſata eſt:idcirco minorem occupat locū:qꝺ etiā nō videſ valere. Tum qz lr̄a non dicit:Cōdenſentur aq̄:ſed cōgregenſ. Tum qz ſenſibiliſ videmꝰ q aq̄ recepte in cōcauitatibꝰ trē nō ſunt magis condenſate q̄ alie. Tū qz q̄titas elementi aq̄ ſp excedit q̄titatē elementi terre: ꝓpt aq̄ raritatē in magna ꝓportione:vt dictuꝫ eſt.⁊ ſic idē inconueniens ſequiſ ſicut priꝰ.ſ.q capacitas terre nō ſufficit ad tantā aq̄ q̄titatē in cōcauitatibꝰ ſuis recipiēdam.vñ aliter ꝺr ab aliis.ſ.q aque in loco vbi nunc ſunt cōgregate in maioꝛē ſunt eleuate altitudinē. Rā vt dicit Baſi. exprimento cōpertū eſt in mari rubro:mare eſſe altius terra:q̄ qꝺem rōnio ad ꝺ nō totaliter videſ ſufficere. Tum qz pluries in ſcriptura cōtes ad mare deſcēdere dicunſ:ſicut in Pſ̄ cvj. Qui deſcēdūt ad mare ī nauibꝰ.⁊ Jone.j. De Jona cōte in mare ꝺr:Et deſcēdens Joppen inuenit nauē ⁊c. Tum qz aq̄ de ſui natura cū ſit fluida nō pōt hr̄e in ſe ptes mōtuoſas.ſ.ceteris altioꝛes:ſic in tra ,ppē ſui ſoliditatē ꝺ ꝛtingit. Tum qz rotūditas aq̄ pōt demōſtrari phyſice:ſic ⁊ tre rotūditas:qꝺ ptz.nam q̄libet ps aq̄ hz eq̄lem inclinationē naturaliē ad centꝝ.eleuatio etiā poli in diuerſis ptibꝰ marī. Similiter ⁊ diuerſitas in oꝛtu ⁊ occaſu ſolis ⁊ ſtellaꝝ vniformiē ſe hz ſicut in terra:⁊ vbicūq; ſunt nauigātes in mari oceano ſeu mediterraneo tpe trā q̄llitat⁹ ſp vident hemiſperia plana abſq; mōtuoſitate ſeu altitudine in aliq̄ ſui pte:ſicut fit ī planiſſima terra in q̄ nulli montes ſeu colles reperiunſ: ⁊ ideo ſaluo ſemper meliori iudicio vlterius videtur de hoc aliq̄d dicendum. Pro quo attendendū eſt q ſicut terra ſm aſtronomos ⁊ pbos eſt in medio vniuerſi tanq̄ eius centrū:⁊ eſt rotunda ſeu ſpherica cuius centꝝ ē idē centro vniuerſi:prout demonſtratiue ,pbaſ in vtraq; ſcia p̄dicta:ſic elementum aque rōne pari de ſui natura ē rotundū ſeu ſphericū: cuius centꝝ eſt idem centrum eſt idem in ſua ꝓma ꝓductione cū centro terre ſeu vniuerſi:ſed oportuit terrā eſſe diſcooptam ab aquis ſm aliquas partes ſui ,ppter neceſſitatē finis.ſ. ,ppter habitationē animaliū ⁊ hmōi. Sapīa aūt diuina que diſponit oīa ſuauiē ſic diſpoſuit: vt elementū aque ſeruando ſuā rotunditatē naturaliē haberet centꝝ ſepatū a centro terre ⁊ vniuerſi: ſiē ſm aſtronomos qui motus ſideꝝ diligenter inueſtigarūt cētrum quoꝛundā oꝛbiū planetaꝝ eſt ſepatum a centro vniuerſi. vnꝺ apud eos tales oꝛbes dicunſ ecentrici seu egreſſe cuſpidis: vt in quarto Almageſti:⁊ in alijs locis illiꝰ libri pertractatur. Que q̄dem diuerſitas ſeu diſtantia vtriuſq; centri.ſ. tre ⁊ aq̄ ab inuicem ſic a deo ſunt diſpoſita vt inde ſequerentur q̄nq; ad ꝓpoſitū ptinentia:quoꝝ primum eſt q licet ſint multe congregationes aquaꝝ in diuerſis locis: tñ oēs aque q̄ ſub celo ſunt:ſunt ad vnū locū congregate ,put deus diſpoſuit. nam q̄libet aq̄ habet equalē inclinationē ad centꝝ elementi aque: ſicut q̄libet ps terre ad centꝝ terre: ⁊ ſic habeſ verꝰ ītellectꝰ illius qꝺ ꝺ::Cōgregenſ aq̄ ad locū vnū:hoc eſt dicere: inclinenſ aq̄ oēs q̄ ſub celo ſunt ad vnū locū.ſ. ad vnū centrū ſeorſum a centro terre:ad qꝺ centꝝ congregenſ aque ſiē ptes tre ad centꝝ terre.que quidem congregatio veritatē etiā hz ī oībus congregationibus aquaꝝ ſiue in fluminibus:ſiue in ſtagnis ſiue in ciſternis:⁊ hmōi. nam omnes aque vbicūq; ſint habent inclinationem ad centꝝ aque ad quod fluunt ceſſante impedimento:ſicut ptes terre:etiā ſi ſint in aere ⁊ eẋ terrā ſuſpeſe ſp habent inclinationē ad ſuū centꝝ. Secundū qꝺ ſequitur ex p̄dicta diſtantia eſt q aqua nō totā cooptat terram ſz aliquā ptem dimittat diſcooptam ,put requirit talis diſtātia centroꝝ ab inuicē:⁊ de hoc dicit in lr̄a:Et appeat arida. Seq̄tur tertiū ex hmōi diſtantia centroꝝ q hec congregatio fuit a deo facta p certam legē ſeu diſpoſitionē in gyro vallātē abyſſos.ſ.multitudinē aquaꝝ: put lr̄a ſonat:Prouerb.viij. Quā do certa lege ⁊ gyro vallabat abyſſos. Quartū ſequiſ ex p̄dicta diſtantia. q licet in ripa maris cōiter terra ⁊ aqua ſint eq̄lis altitudinis:tñ ,pcedendo in mari p elongationē a tra mare ſemper eſt altius terra.vñ in Pſ̄.lxviij. Veni ī altitudinē maris:⁊ intantū q̄nq; ,pceditur q mare eſt altius q̄ montes in terra:⁊ ſic intelligitur illꝰ Pſ̄.ciij. Super montes ſtabūt aque:qz altioꝛes ſunt aque oceani:pſertim ,pcedendo verſus mediū q̄ mōtes terre. Sequiſ q̄ntum ex p̄dicta diſtantia q incedentes per terrā ad mare deſcendentes debent dici ſicut in auctoꝛitate p̄allegata:⁊ ī alijs q̄ plurimis habeſ. Similiē q mare ꝺr eſſe ſeu fundari ſuper terram.prout legitur ī Pſ̄. xxiij. Ipe ſuper maria fundauit eum. Et vt predicta clariꝰ intelligantur ponitur hec figura que repreſentat hec elementa ſcz terram ⁊ aquam:tam prima eoꝝ productione q̄ poſt aq̄ congregationem. In qua figura licet coꝛpus mathematice cō ſideratum non poſſit in ſuperficie plene repr̄tari:tñ ſatis ſufficit recte imaginanti. Sequitur figura.



In hac figura ſit.a.centrū terre quod eſt etiā centrum vniuſi:et ſit ſphera terre:b.d.g.e.ſup cētꝝ a.⁊ ſit ſphera aque añ

ra aque añ eius congregationē.m.n.o.sup centrū.a.supradictū qđ est centr̄ vniuersi.nam aq̄ ex sui ꝑmeua natura equaliter hēbat circūdare terrā:cū ql̄bet ps aque eq̄lit̄ haberet inclinationē ad centr̄ terre:qđ est cētr̄ vniuersi. Dispositum aūt de⁹ q hec sphera aque cōgregaret ad vnū locū:sic vt arida apperet. Sit g̃ sphera aq̄ scđa.s. p⁹ hmōi iussionē cōgregate vbi nūc ē.scz.c.d.e.q̄ qđē sphera ē eq̄l ꝑme sphere aq̄.scz.m.n.o. Sit etiā centr̄ sphere aq̄ p⁹ ei⁹ ꝓgregationē.f. qđ ē cecētricum:vt dictū est:eo q distat seu egredit̄ a.centro a.qđ ē cētr̄ vniuersi. Intersecet g̃ hec sphera aque spherā t̄re ī duob⁹ p̄ct̄ seu locis.scz.d.e. Patet igit̄ ī hac figura ꝑmū intentū.scz q oēs aq̄ vbicūq̄ fuerint sub celo ad sphērā aq̄ sunt x̄tualit̄ cōgregate:t p ꝓ̄s ad vnū locū.nam quelibet aq̄ hz eq̄lem inclinationē naturalē ad spherā seu cētrū sui elementi.s.aq̄: qđ est.f.etiā si sint sepate in locis alijs vbi ipediuntur ne possint fluere ad locū suū:sic etiā ptes terre vbicūq̄ suspendant̄ seu detineant̄ ad spherā terre seu ad cētr̄ t̄re hūt inclinationē naturalē:t ꝺ̄ est qđ ꝺ̄:Cōgregent̄ aq̄ ad vnū locū:vbi notāter ꝺ̄:Que sub celo sunt.ad excludendū aq̄s supiores:q nō itel ligunt̄ sub hac ordinatione. Patet etiā ī hac figura scđm intentū.s.q aq̄ nō totā cooptat̄ t̄rā:sz aliquā ei⁹ ptem dimittat discooptā.nā arc⁹.d.e.g.q ē ī sphera terre ē discoopt⁹ ab aq̄s vt patet ī hac figura:qđ ꝺ̄ fm cosmographos ē fere qrta ps terre ceteris ptib⁹ ip̄i⁹ terre remanentib⁹ sub aq̄ coopt̄: vñ notanter ꝺ̄:Vocauit de⁹ aridā t̄rā.ad differentiā terre cooperte aq̄s:q nō ꝺ̄ arida. Patet etiā in hac figura tertiū intentū scz q hec congregatio fuit a deo facta p certā legē seu institutionē q̄ de⁹ vallauit.i.circūmuniuit ī gyro:ꝺ̄ ē ī circūitu abyssos.s.aquarū multitudinē.nā p gyr̄ seu p circūitū sphericuz scz.c.d.e.vallauit totā multitudinē aq̄r̄ x̄tualit̄:sic q q̄libet aq̄ que ꝺ̄ celo ē adhunc gyr̄ ex certa lege diuina habeat inclinationē cōnaturalē:t sic habeā⁹ ver⁹ sensus hui⁹ dicti. Certa lege t gyro vallabat abyssos. Sicr t huius qđ ꝺ̄:Circūdedi mari terminū suū t similiū. Patet etiā quartū intentū in hac figura.s.q lz in ripa maris terra t aq̄ in eodē loco cōcurrunt vtputa in.d. ꝓcedēdo tñ in mari p elongationē a terra mare sp est altⁱ⁹ terra:qđ sic patet:nā si ꝓcedat a loco.d.in q̄ cōcurrūt aq̄ t mare:vt dictū est p elongationem a terra vsq̄ ad aliq̄ locū:vtputa locū.c.qui est in supficie maris:tūc. c. est locus altioz q̄ ꝺ̄.nā si ꝓtrahatur linea ab.a.qđ ē centruz terre seu vniuersi vsq̄ ad.c.talis linea intersecabit supficiē terre ī aliq̄ loco:t sit x̄bi grā in.b.t cū a.d.t.a.b.sint eq̄les: q̄ ꝓcedunt a centro ad circūferentiā.sequit̄ q linea.a.c.est maioz q̄ linea.a.d.t p ꝓ̄s.c.locⁿ ē altioz.ꝺ.qz magis accedit ad circūferentiā vniuersi q̄ ꝺ̄.d. Et qz diametr̄ elementi aque ē ī mag̃ quantitate:mal⁹ q̄ ꝺ̄ diametr̄ terre:vtputa in decuplum: vt dictū est:sequit̄ q tñ posset ꝓcedi p elongationez a terra:q sit mare ibi altⁱ⁹ q̄ montes in terra.nam montes q̄tūcunq̄ alti nullā ꝓportionē ꝑceptibilē habent p compationē ad orbē terre:vt patet in eclypsib⁹ lunarib⁹:in q̄bus ex q̄titate vmbre a terra causate:cōmensurat̄ certitudinaliter q̄titas eclypsis nulla mentione facta de vmbra montiū:ratione p̄dicta. Idez etiā patet in cōmensuratione dier̄ t noctiū:in q̄ nō fit aliqua mentio de altitudine mōtiū:ac si esset terra spherica penitus:
Ps.103 t sic intelligit̄ illud ꝓ̄s. Sup montes stabūt aque.s.q altiores sunt aque oceani ꝓcedendo versus mediū:q̄ mōtes terre. Sequit̄ q̄ntū intentū.s.q incedentes p terrā ad mare:descendere dicunt̄:sicut patet in auctoritate ꝑallegata:t alijs: qđ sic patet.nā assignetur aliquis locⁿ in supficie terre discoopte citra ripā:t sit.g.t sic ꝓtrahat̄ linea a centro aque qđ ē f.vsq̄ ad punctū.g.tunc talis linea intersecabit supficiē aq̄ in aliq̄ loco:t sit x̄bi grā in puncto.b.t tunc constat q linea.f.g est maioz q̄ linea.f.b.t p ꝓ̄s locus.g.respectu.f.qđ ē centrū aque:est altioz q̄ locⁿ.ꝺ.vbi est ripa:vt patet manifeste. t sic patet ratio q̄re aque vbicunq̄ ponant̄ in terra naturalit̄ descendendo fluunt ad mare:nisi impediant̄:iuxta illđ Ecclesiastes.j. Oia flumina intrant in mare. Et ex hoc sequit̄ q incedentes p terrā ad mare:descendētes debent dici: vt supra allegatū est.nā cōi mō loq̄ndi:loca terre a quib⁹ aque fluūt dicunt̄ supiora respectu locⁱ ad que fluūt. Patet etiā in hac figura q terra ꝺ̄ fundari sup mares:vt in ꝓ̄s.xxiij. Quia ip̄e sup maria fundauit eā. Terra.n.habitabil.scz.ꝺ.g.e. sup elementū aque fundat̄:altioz cū est respectu.f. qđ est centrū aque:q̄ tota sphera aque post cius cōgregationē: t eadē rōne dicit̄ esse terra sup flumina.nā flumina a terra descēdūt in mari:vt dictū est:tanq̄ a supiori loco ad inferiora. Ex quib⁹ bñ cōsiderat̄ p̄t haberi ver⁹ intellect⁹ scripturaꝝ:que de cōpatione aque ad terrā q ad sitū tractāt:que diuersimode ab aliquib⁹ expo/ quib⁹ expositorib⁹ exponunt̄. Patet etiā ex supradict̄ q terrā esse discooptā fm aliquā ptem ab aq̄s mō ꝑdicto.nulli potest attribui nisi ptāti t ordinationi diuine:vt scriptura ī multis locis testat̄.vñ Iere.v. Ne g̃ nō timebit̄:ait dñs:t a facie mea nō delebitis:q posui arenā terminū mari. Ex q patet ꝺ̄ ptinere ad omnipotentiā diuinā solū. Similit̄ t ad ei⁹ inefabilē ꝓuidentiā:que disponens oīa suauit̄:locū dedit aq̄s miro mō cōnaturalē:ne vlteri⁹ terrā coopirent:iuxt illđ ꝓ̄s ciij. Terminū posuisti quē nō trāsgredient̄:nec cōuertentur opire terrā: t hoc ē satis manifestū.nā lz exsiccatio supficiei t̄re aliq̄ mō possit causari ex actione solis desiccant̄ t hmōi. mutatio tñ seu sepatio centri aque a loco sibi in ꝑma ꝓductione debito ad aliū locū distantē:nō pōt causari nisi a deo q̄ sol⁹ est institutor nature. In hoc enī q deus dixit: Congregent̄ aq̄ nē.mō ꝑdicto:dedit de⁹ aliā naturalē inclinationem ab illa quā in ꝑmo:ꝺio habuerant: vt supra expositū est. t iō rōnabiliter hmōi congregatio aquaꝝ fuit facta antecq̄ sol fieret: vt innueret terrā eē discooptā nō p exiccationē sol⁹ vt q̄dam erronee putāt:sz iussione diuina. Idē patet ex mō loq̄ndi scripture in ꝺ̄ loco. Hō.n.dixit:desiccent̄ aque que sūt super terrā: vt appareat arida:sed dixit: Cōgregentur aque. Quāta aūt sit distantia vni⁹ centri ab altero: valde difficile esset humanit⁹ inuestigare:sed sufficit q tanta est distantia: quāta req̄rit̄ ad hoc vt ꝑdicta inde seq̄nt̄:pōt etiā ꝓbabiliter opinari:nō tñ certitudinaliter:q centrum aque elementi sit idem cum ecentrico lune:eo q elementum aque ꝓut experimur sequit̄ motū lune fm fluxum t refluxum.

De opere quarte diei.

Circa ꝓductionē luminariū t stellaꝝ varie sunt opiones sicut t circa multa alia in hoc capitulo contenta:fm tñ expositionē quā sequar:luminaria t stelle fuerunt q̄rta die ꝓducta a deo p creationē in suis ꝓprijs t pfectis formis: quas formas sequūtur ꝓprietates t x̄tutes que exp̄munt̄ in l̄ra: t alie que ibi nō sunt exp̄sse:cum sacra l̄ra in ꝺ̄ loco non tradat nisi illa que visui seu sensui hoīm cōiter subiacent:vt dictū est. Huic enī sn̄e l̄re valde consonat.cum dicit: Fiant luminaria:eo mō q̄ dixerat: Fiat lux:nō enī dixit: Producant celi luminaria:vel nubes lucida ꝓducat solē:vl aliq̄d hmōi in q̄ denotaret̄ ip̄a fuisse ex aliq̄ facta:nec etiam dicit in ei esse aliq̄d informe qđ ꝑficeret̄:sed simplicit̄ in primo eoꝝ fieri.explicat coꝝ ꝓprietates.vt l̄ra plane testat̄. Circa ꝓprietates aūt eoꝝ attendendū q nō oēs ꝓprietates luminariuz t stellaꝝ etiā sensibiliū hic exp̄munt̄:sed illa que humane vtilitati manifeste deseruiunt:in quib⁹ etiā differentia inter lucē ꝑma die factam:t lucē luminariū innuit̄.vñ de ꝑma ꝓprietate dicit. Diuidant diē a nocte:in q̄ oñdit quedā differētia inter hanc diuisionē dieī t noctis:t illā de q̄ fit mentio in ꝑma die.nā ibi nō ꝺ̄ q lux diuideret inter diē t noctē:seu lucē a tenebris:sed q deus diuidit:eo q ex illa lux non habebat ꝓprīū motū de se:sz p diffusionē t contractionē a deo fctā:dies diuidebat̄ a nocte. vt dictū fuit fm Basi.sed lumīaria que habēt motū a se fm naturā a deo sibi collatā: ꝓprie diuidūt inter diē t noctē:vñ dixit: Fiāt luminaria t̄.vt diuidāt diē ac noctē. Et notandū q licet dies sit ꝓprie latio solis sup terrā.tñ quelibet planeta t stella hz suū ꝓprīū diē scz cū ipa sup t̄rā ferī:t noctē ecōuerso.t iō nō simplicit̄ diē de sole:vt diuidat diē ac noctē:sed etiā de oīb⁹ dicit vt diuidāt.Scđa ꝓprietas ē cū dicit:sint in signa:qđ cōiter exponi tur in q̄ntū ex luminarib⁹ celi accipit̄ significatio pluuiosi tēporis vel sereni:que sunt apta diuersis negocijs.quod non sic itelligendū ē:vt p luminaria t stellas cōit̄ accipiant̄ sig̃ serenitat̄.vel pluuie cuiuslibet tp̄is seq̄nt̄.qz hoc ptinet ad astrologos.q̄ de his ꝓnostication⁹ intēdūt:nō aūt ad populū rudē cui moyses loq̄batⁿ. Et etiā ip̄i astrologi sepe fallūtur ī ꝓnosticādo:sz ꝺ̄ itelligi ꝺz fm q̄ndā generalitatē significādi:vt cū ꝓgscit̄ q sole exīte in pte septētrionali: seu in signis seu mēsib⁹ hmōi calor viget:vt ī plurib⁹:t pluuie diminuunt̄.t ecōtra de meridionalib⁹.t ꝺ̄ cōiter intelligit̄ a populariꝺ q cōit̄ dicūt talē mensem eē calidū t talē tpatū cē t hmōi:qđ x̄itatē hz in plurib⁹:que q̄dē magne vtilitat̄ ī cultura t̄re:vt ē manifestū. Si aūt ꝺ̄ itelligat̄ p ꝺ̄ q ꝺ̄ signa:q de hmōi luminarib⁹ t stellis p̄t accipi signa alioꝝ euentuū:talis intellect⁹.t si forte aliq̄d cōtineat x̄itat̄: non tñ fm ꝑmā significationē l̄ralē:que de ꝑmaria significatione l̄re fm cōem modū itelligēdi accipit̄:t de talib⁹ signis intelligit̄ illđ Iere.x. A signis celi nolite metuere que gētes timēt. Et ꝓ q hec ꝓpetas nō ptinebat ad lucē ꝑmā die factā. Alia ꝓpetas luminariū ad vtilitatē hominū exp̄mit̄ cū dic:

vt sint in tpa. Pro q̄ attendendū q̄ nō dic̄ vt sint in tp̄s: vt sic ītelligerē de tpe simplicit̄ sumpto: qđ factū est cū p̄mo motu ī p̄ma die: vt dictū ē: ꝛ dic̄ ī tpa: vt intelligat̄ de vicissitudine tēpoꝝ ex q̄ fastidiū tollit̄: vñ ī hymno: Et tēpoꝝ das tpa vt alleues fastidiū: ꝛ valitudo etiā ꝓseruat: ꝛ necessaria victui oriunt̄: vt patet p̄ expientiā: qđ etiā lune videt̄ ptinere q̄ ꝑm q̄ttuoꝝ aspect̄ q̄s hz ad solē diuersas ifluētias etiaꝫ sensibiles causat. vñ in Ps̄. ciij. Fecit lunā in tpe. Alia ꝓp̄e tas ad vtilitatē hoīm ē mēsuratio durationis reꝝ tpalium ꝛ negotioꝝ de q̄ dic̄: Et ī dies ꝛ annos. Per b. n. q̄libet duratio tpal' mēsurabil' est tā p̄terita q̄ futura ꝑm certitudinem: vel saltē estimationē: qđ nō ptinet ad lucē p̄ma die factā: p̄e sertim cū nō durauit nisi p̄ tres dies. Alia ẋo ꝓp̄etas maxime vtilitatis ē: vt illuminēt sup terrā: qđ ē necessariū quātū ad visum: q̄ ē directiu⁹ ī opib⁹ ꝛ maxie vtilis ē ad ꝺgiscēdas reꝝ differētias. vt ī. j. Metaph. qđ non ptinebat ad lucē p̄ma die factā: q̄ nō legit illuminasse trā: qz ex sui tenuitate ñ poterat ad b̄ attīgere. Et ex b̄ etiā sequit̄ illā lucē nō hūisse alias vtilitates p̄dictas: q̄ oēs ꝓueniūt mediāte illuminationе luminariū ꝛ stellaꝝ sup trā. Et vt sūmarie ĉcluderet alias ꝓp̄etates luminariū ꝛ stellaꝝ q̄ essent q̄dām̄ inenarrabilia dic̄: vt ꝑssent diei ꝛ nocti. ī. p. ptātem ifluēdi suas prop̄rias impssiones. vñ ꝛ in Ps̄. cxxv. de hac materia dic̄. Solem ī ptātem diei: lunā ꝛ stellas in ptātē noct': qz mediantib⁹ radijs ifluūt: ꝛ ī⁹ ptās diei p̄cipue attribuit̄ soli: cui⁹ radij ī die ceōs obūbrāt: ptās ẋo noct' lune ꝛ stell' attribuit̄: q̄ de nocte clari⁹ irradiant. Et notādū q̄ Moyses in b̄ loco cām ꝓductionis luminariū assignat solū ꝑm q̄ sūt facta ad vtilitatē hoīm: vñ Deutro. iiij. de eis dr: Que creauit dominꝰ de⁹ tu⁹ ī ministeriū cūct' gentib⁹: ꝛ ex b̄ nō tollit̄ ipa fuisse facta ꝓp̄t̄ totū vniuersū ex finalit̄ ꝓp̄t̄ gloriā dei ad quā oīa ꝓducta seu creata ordinant̄: vñ in Prouerb. Oīa opat⁹ est de⁹ ꝓpter semetip̄m.

In eodē capi. j. Heñ. vbi dr in postilla: Maxime quia ꝑm alios sanctos doctores: Moyses ꝛc.

Additio. ij. Licet verꝝ sit q̄ expositio bti Aug'. in b̄ loco sit valde lōginq̄ a plano l'rali sēsu: nō tñ ex b̄ q̄ moyses rudi pp̄lo loq̄bat̄: q̄ spūalia cape nō poterat: ꝛ tm̄ corpalia posset sumi: rō ꝺ expositionē Aug'. ꝛ potiꝰ videt̄ facere ꝓ eo: qz ꝓp̄t̄ ruditatē ꝓp̄li ꝛ ꝓnitatē ad idolatriā optebat q̄ moyses ꝺ āgelica natura ꝛ eiꝰ ꝺgnitione q̄si pabolice loq̄ret̄ p̄ sīlitudinē vespe ꝛ mane ꝛc. Vñ sensus l're ī b̄ loco ꝑm Aug'. Si ꝓp̄e ītelligat̄ ē pabolicꝰ q̄ sub sensu l'rali cōtinet̄: q̄ dē modꝰ exponendi necessariꝰ ē ꝛ vtilis in multis locis sacre scripture: ꝓut supra ī q̄stione sup. ꝓlogū in rūsione ad q̄rtū argumentū pleniꝰ continetur.

In eo. capi. j. vbi dr ī postilla. Dic q̄rit̄ q̄re in scḋa die non dr: Et vidit deꝰ q̄ esset bonū ꝛc.

Additio. iij. In hoc loco videt̄ postillator a rectitudine ꝛ doctoꝝ nō mediocrē auctoritatē inꝺ catholicos hūiusmodi irreuerenꝺ tractat: scḋo qz irrōnabil'r dēa coꝝ ip̄robat: ꝛtio qz expositionis l'r̄al' auctoritatē: quā nr̄i doctores p̄mo iuenerūt Ra. Sa. hebreo attribuit. Primū p̄z: nā rūsio quā ipe vocat truphaticā ē illi⁹ magni doctor' Rabani q̄ in b̄ loco ad hāc q̄stionē sic rādet: nisi forte sic q̄dā patꝝ exposuit nō esse bonū duplicē numeꝝ: q̄ ab vnitate diuidit ꝛ p̄figurat federa nuptiaꝝ. Vñ ꝛ ī arca Noe oīa animalia q̄ bina ingrediunt̄ ītmunda sūt ꝛ impar numer⁹ mund⁹ esse oñdit: hec ille. Magister etiā in ij. dist. xiij. rūdens ad hanc q̄stionē sic dicit. Sacramentum aliqđ b̄ cōmēdat̄: ī⁹ cm̄ forte nō ē hic dictū qđ tñ sic ī alijs factū ē: qz binarij⁹ p̄ncipiū ē alteritat' ꝛ signū diuisionis ab vnitate: hec ille. Nō igit̄ modica irreuerētia est tantoꝝ doctoꝝ seu patꝝ expositionē truphaticam vocare. Secundū patet: nā motiuū postillatoris ad reprobandū hmōi expositionē doctoꝝ: qđ sumit̄ ex b̄ q̄ ī sacro euāgelio binarij⁹ numer⁹ ē laudabilis: ad qđ allegat Greg'. sup Lucā. x. modici valoris ē apd̄ sane ītelligētes. Cui⁹ rō ē: nā ī expositionib⁹ mysticis p̄ vnā ꝛ eandē rem ꝑm diuersas sui q̄litates sepe opposita designant̄: sic ꝛ celū empyreū rōne splēdor' p̄ ignem posset designari: vñ ꝛ igneū ꝺr. infern⁹ aūt qz deuoratiu⁹ ē ꝛ maxime obfuscat⁹ ꝛ de eo legit̄ Job. xx. Deuorabit eum ignis q̄ nō succendit̄. Silr ꝛ de binario numero est dicendū: qz si cōsidereꝝ ꝓut in eo rō charitat' p̄mo saluat̄ sic est laudabil' ꝛ ī bonū sonat: ꝛ ī⁹ binariū ītelligit isto mō Greg'. sup Lucam Inquantū aūt binarij⁹ numer⁹ ab vnitate p̄mo descēdit p̄ncipiū seu signū diuisionis ē: ꝛ p ꝰns nō bonā hz significationē: ꝛ isto mō accipit̄ a doctoribꝰ in b̄ loco: vñ p̄dictoꝝ doctorum expositio: ꝛ si nō sit l'r̄alis: tñ nō est truphatica: sed vere expositio mystica: ꝛ ideo interposuerūt aduerbiū dubitatiuū scz forte seu fortasse: ad designandū q̄ ex ea nō p̄t̄ sumi efficax argumentū: sic̄ nec ex alijs mysticis expositionibus.

Tertiū patet: nā rūsio l'r̄alis quā attribuit ipi Ra. Sa. inuenitur pri⁹ in Glo. nostra vbi sic dicitur: Vel ī⁹ nō addit̄: qz ī b̄ ope distinctio aquaꝝ nō est pfecta que in ꝓximo fit: vbi dicit Congregent̄ aque in locū vnū: ꝛ ideo ibi addendū reseruat̄ hec in Glo. potius igit̄ erat attribuēda auctoritas huiꝰ expositionis Glo. nr̄e q̄m Ra. Sa. ꝓout oñsum est ī quarto articu. q. superaddite in prologo.

In eodē ca. j. vbi dr in postilla: q̄ distinctio facta est p̄ hoc q̄ aq̄ pri⁹ ꝓducta in forma sub̄ali.

Additio. iiij. Cōgregatio aq̄ruꝫ ꝺ q̄ b̄ agit̄ nō est ītelligēda p̄ densitatē aq̄ꝝ nec p̄ earū receptionē ī cōcauitatib⁹ t̄re: ꝓut aliq̄ voluerūt: ꝛ p̄ aliuꝫ modū rōnabiliorē: ꝓut l'ra sonat. sic̄ pleni⁹ ī additiōe supradicta in ope tertie diei declaratur: vide ibi.

In eodem ca. j. vbi dr in postilla: Et ꝓtulit t̄ra: intelligitur passiue: qz ẋtute diuina actiua ꝓtulit t̄ra ꝛc.

Additio. v. Ex b̄ q̄ diuina ẋtute t̄ra ꝓtulit herbā nō tollit̄: q̄n t̄ra actiue ꝓtulit p̄dicta. Aūn Aug⁹. ī b̄ loco cālit̄ dictū ē ꝓduxisse t̄rā herbā et lignum. i. producendi accepisse virtutem.

In eodē Heñ. ca. j. vbi dr: Stelle āt fixe ꝛc.

Additio. vj. Octaua sphera vbi sūt. xij. sig̃ꝛ stelle fixe motū hz ꝓp̄riū distinctū a motu firmamenti: qui quidem motus dicitur apud astronomos motus accessus ꝛ recessus.

In eodē ca. j. vbi dr ī postilla: Hec valet qđ cōtra b̄ obijcit frates Thomar ꝛc.

Additio. vij. Si verba sancti Thome tractant̄ de luce in prima die producta in prima pte. q. lxvij. arti. vl. in rēsponsione ad secundū argumētum recte intelligant̄: improbatio postillatoris nullus habet locum: verba cm̄ sua in hac materia loco allegato: hec sunt in forma. Quidā dicunt lucē illā fuisse nubē quandā lucidaz: q̄ postmodū facto sole in materiā p̄iacentē redijt: sed istud non est conueniens: qz scriptura in p̄ncipio Heñ. cōmemorat institutionē nature que postmodū ꝓseuerat: vñ non debet dici q̄ aliquid tunc factū fuerit qđ post modicū esse desierit: ꝛ ideo alij dicunt q̄ illa nubes lucida adhuc remanet: ꝛ est cōiuncta soli vt ab eo discerni nō possit. sed ꝑm hoc illa nubes supflua remaneret: nihil aūt est vacuū in opib⁹ dei: ꝛ ideo alij dicunt q̄ ex illa nube formatū est corꝓ solis: sed hoc etiā dici nō p̄t̄ si ponaꝫ corꝓ solis nō esse de natura q̄ttuoꝝ elemēToꝝ: sed eē incorruptibile p̄ naturā: q̄m ꝑm hoc materia eius nō p̄t̄ esse sub alia forma: ꝛ ideo dicendū ꝛc. hec ille. Ex quib⁹ ẋbis manifeste patet q̄ sc̄tus Tho. nō improbat tertiā positionē: que dicit solē esse factū de illa nube lucida: ꝓ hoc q̄ in p̄ma reꝝ ꝓductione nō est dicendū q̄ aliq̄d sit ꝓductū satis cito corrumpendū. put postillatoꝝ eidem imponit: sed sc̄tus doctor improbat hanc positionē p̄ alios mediū ꝛ conditionaliter. ſ. si ponatur corꝓ solis esse incorruptibile p̄ naturā: qz ꝑm b̄ materia eiꝰ nō potuit esse sub forma nubis lucide seu alia forma quecūq̄ distincta a forma solis que nunc est. Primā aūt positionem q̄ dicebat illā nubē lucidā postmodū facto sole in materiam p̄iacentē redisse improbat sc̄tus Tho. ꝓ hoc q̄ nō est dicendū q̄ aliq̄d in p̄ma reꝝ ꝓductione sit ꝓductum satis cito corrumpendū: que q̄dem improbatio est manifesta q̄ ad istam positionē primā: nā si nubes illa lucida in materiā p̄iacentez redysset: certū est ipam corꝛuptā fuisse ꝑm pfectā rōnem corruptionis: nō cm̄ trāsmutabat̄ in melius. Vñ in hoc loco videtur q̄ postillator aut nō legit verba sancti Thome p̄dicta: aut voluit inuoluere sentētias eis vt eū irrōnabiliter reprehenderet. Qz aūt subiungit postillator de sc̄tō Tho. q̄ incidit ī illud qđ improbat: eo q̄ in ope q̄nte dixi dicit: q̄ aues ꝛ pisces facti sunt ex q̄ttuoꝝ elementis ꝛc. nihil rōnis videt̄ continere nā sc̄tus Tho. nō improbat q̄ ex aliq̄ natura in p̄ncipio Heñ. cōmemorata ꝑm aliq̄d sui ꝓduceret̄ aliq̄ alia natura: sic herbe vel plante ex terra: ꝛ aues ꝛ pisces ex aq̄ seu ex q̄ttuoꝝ elementis: sed dicit esse incōueniens q̄ aliq̄d tunc factum fuerit ꝛ postmodū esse desierit. ſ. ꝑm totū: vtputa q̄ totū elementum aque vel hmōi nunc p̄seueraret: sed p⁹ modicū desineret esse: qđ esset contra institutionē nature que p̄seuerans est.

In eo. ca. j. vbi dr: ī po. Cōsiderādū etiā q̄ pisces ꝛ aues ꝛc.

Additio. viij. Dicendū est hic sicut supra sup illud verbū: Et ꝓtulit t̄ra. ſ. q̄ ex hoc q̄ pisces

ex hoc q̄ pisces ⁊ aues fuerunt ꝓducti a deo actiue: nō sequ tur q̄ nō fuerint ꝓducti ex elementis actiue. Causa eñ ꝑma nō semp excludit actionē causaꝝ secundarū: vt dictū est.

¶ In eodem ca. j. vbi dicitur in postilla: ex quo patet iudeos ceciḋisse in errorem saracenorum.

Additio. ix. Sicut inter xp̄ianos fuerunt aliq̄ heretici: vt Arriani. Nestoriani: et hmōi quoꝝ errores nō sunt imponēdi veris xp̄ianis: sic inter iudeos fuerunt aliq̄ hītes erroneas opiniones que nō apꝛo bant a iudeis cōiter: vñ licet in aliq̄b⁹ opusculis eoꝝ appare at q̄ ī alia vita sint coꝛpales delectationes cōitas tñ eoꝝ hoc oīno respuit: est eñ cōtra illud Esa. lxiij. A seculo non audie runt: nec aurib⁹ ꝑceperunt: oculus nō vidit: deus absq̄ te q̄ ꝑparasti expectantib⁹ te. Ex quib⁹ ỽbis manifeste habeť q̄ re muneratio ꝑpata iustis supat oēm sensū: vñ determinatio cō munis ē apō eos: ꝓut Ba. Moyses dicit q̄ ī alia vita nō ē ci b⁹: nec por⁹: nec act⁹ venereoꝝ: ꝛ iusti delectanť ex splendoꝛe diuine gr̄e. Qua ꝓpť attribuere istū errorē iudeis in cōi non est vtile ad eoꝝ reductionē: credunt enī q̄ nos fingim⁹ mēda cia cōtra eos: qō nō modicū impedimentum ꝓestat ad ꝟ vt reddamur eis credibiles.

¶ In eodem Heñ. ca. j. vbi dicitur in postilla: imago autē dei consistit in anima ⁊c̄.

Additio. x. Hec expositio postillatoꝛis de imagi ne ⁊ silitudine satis cōgrua ē: ⁊ ponitur a mgr̄o i. ij. dist. xvj. Sūt tñ alij modi exponēdi vt ibidem habeť: q̄ꝝ rō differentie: ꝓut in ꝑma pte. q. xciij. arti. viij. pōt sic sumi: Nā similitudo aut ꝓsiderať vt ꝑambulū ad imaginē inquātū est cōio: q̄ꝫ imago: ois. n. imago est silitudo ⁊ nō ecō tra. vel potest cōsiderari. vt subsequēs ad imaginē inquantū significat quādā imaginis ꝓfectionē. Dicim⁹. n. imaginem ali cui⁹ eē similē ei cui⁹ est imago: inq̄ꝫtū ꝓfecte repꝛesentat ipsuꝫ vñ similitudo si distinguať ab imagine: ꝑimo mō ꝓut ē ꝑam bula ad ipam sic similitudo attendiť ꝑm ea que sunt cōmunio ra ꝓprietatibus intellectualis nature: ⁊ sc̄dm hoc ad imagi nē dei mens ptiner. ꝑm Aug⁹. in libro. lxxxiij. questionū. Ce tera aūt hois. s. que pertinent ad ptes inferiores anīe: vel eti am ad ipm coꝛpus ad similitudinē facta esse dicunť. si autē di stinguanť sc̄do mō. s. ꝓout similitudo significat imaginis ꝓfe ctionem sic habet locum expositio postillatoꝛis.

Incipit tractatus magistri Nathie oꝛdinis

minoꝝ ꝓuincie Saxonie ministri sacre theologie profesꝛoꝛis clarissimi quē intitulauit Coꝛrectoꝛiū coꝛruptoꝛij Burgensis in q̄ dicta postillatoꝛis tutanť respondēdo rōnib⁹ Burgēsis ⁊ eius dicta optimis rationibus anihilando vt patet diligen ter inspicienti.

Post ꝓlogū suū Burgensis ad lr̄am accedēs diē se velle aliq̄ supponere ex quib⁹ trahi debeat ali q̄d planū ꝓ simpliciter capientib⁹. Et hoc faciēs inuoluendo snīas circa ꝑimū capitulū replet to tū vnū sexternū: ⁊ suis involutionib⁹ peroptime pensatis videri poterit q̄ ꝑmū capitulū remanet plus dubiū in multis q̄ꝫ ex plana postillatoꝛis expositione in q̄ digressio ne rēphendit aliq̄n postillatoꝛē. ꝑmo dicens q̄ min⁹ sufficien ter se habuit circa ꝓcessum introductoꝛiū ꝑmi capituli: in eo q̄ dic̄ ītellectū opationis sex diex̄ dependere ex varietate opi nionū de natura materie a ꝓbis positaꝝ. Ubi dico q̄ Burgē sis nō bñ rēphendit postillatoꝛē: nā postillatoꝛ dicit duas so lēnes expositiones lr̄ales doctoꝝ eē q̄ ꝓcedunt varie ꝑm opi niones varias de natura materie a ꝓbis positas et excludit admirationē eoꝝ q̄ egreferre possent eū dicta ꝓboꝝ opinabi lia tractare in expositione lr̄ali dicēs: ex illaꝝ ptractatiōe de pendet intellect⁹ opis sex diex̄ nō directe ⁊ ꝑ se: sed inquātuꝫ exponiť varie a diuersis. Nō igiť vult q̄ sensus lr̄alis sit su mend⁹ ex opinionib⁹ ꝓboꝝ: sꝫ q̄ videri possit: que doctoꝝ ex positio innixa ⁊ fundata sup hmōi sit rōnabilioꝛ ⁊ sensui lr̄ali ꝓpiꝛoꝛ: nō igiť inconueniēť dictū: vt putat Burgēs. Ratio nes igiť sue rēphensionis nō valent: nō ꝑma q̄ ex diuersitate opinionū nō sumit sensum sc̄pture: sꝫ solū inārit ex eis q̄ snīa doctoꝝ sit aptioꝛ: nec sc̄a: q̄ articulū creationis nō inquirit ex ꝓfatis opinionib⁹: sꝫ cōueniētia expositionum adductarū: intendit enī solū expositionū varietatē ⁊ obscuritatē declara re a q̄ etiā ipe Burgēs. nō abstinet si rēphensibile est. nam di uersitatē inter btñ Aug⁹. ⁊ Ambꝛo. sumi de infoꝛmitate ma terie ptractat in solutione prime questionis quā mouet qua re. s. sc̄ptū nō sit: fiat terra: sic̄ fiat lux ⁊c̄. Nec puto sine intell ctu opi-

ctu opinionū de natura materie expositionē Bede: Strabi: Linconiēsis: ⁊ ceteroꝝ de ꝑima forma coꝛpali quicq̄ posse ītelligere: cuius ad verū sensum lr̄alem huius passus: etiaꝫ sine eoꝝm expositione quis possit peruenire. Item eadē di gressione ꝛmprobat Burgen. rationes per postillatoꝛem ad ductas: ad ostendendū aggressiones aquaꝝ in vnū locuꝫ vt appareret arida: videlicet condensationē elementi aque et receptionē multaꝝ partium eius in concauitatibus tr̄e: q̄s rationes ꝛmprobando Burgēs. ꝛmprobat nō mō postillato rem sꝫ ⁊ btñ Aug⁹. qui asserit has rationes sup Heñ. ca. xij. Sicq̄ Burgēs. ad reuerentiā sanctoꝝ nō respicit q̄d supra in postillatoꝛe valde repꝛehendit: sed frustra vt patet in coꝛ rectoꝛio. vj. arti. q. ꝑambule. Rōnes nāq̄ ipius Burgēs. cō tra btñ Aug⁹. ⁊ postillatoꝛē modice sunt apparentie: nā ꝑi ma fundať sup falsa imaginatione quasi tota ratio siccitatis terre sit receptio aque in cōcauitatibus terre: quod falsum est: sed ex condensatione eius facta est: cum in ꝑma creatiōe aqua fuisset rara ad modum nebule: ⁊ ex multis pugillis ne bule factus est vn⁹ pugillus aq̄: sicut patet ad sensum. Sicq̄ condensatione facta pars recepta ē in cōcauitatibus terre: ⁊ ille sunt due cause partiales siccitat⁹ terre: vt vult be. Aug⁹. vbi supra. Nec secunda ratio Burgen. valet cum dicit in lr̄a dici: Congregenť aque: nō condensentur: nam congregatio simul ⁊ cōdensatio est ptium ꝓpinquioꝛ positio: ⁊ ita illa dif ficultas poti⁹ est vocalis q̄ꝫ realis. Siliter quod tertio ad ducit fundať super falsa imaginatione. imaginatur enim q̄ aque in terra recepte sint densioꝛes: quod veꝝ nō est quātū est de rōne aque: quia toto elemento condensato pars eius vna recepta est in terre viscerib⁹. Et per ea que dicta sūt pa tet q̄ nō valet illud quod quarto adducit: quia condensatio ⁊ receptio sunt ambe cause ptiales ad vnum effectum aridi tatis terre. ¶ Preter has potioꝛ ratio ariditatis hui⁹ potest addi diuina voluntas: que legem posuit aquis ne transirent fines suos. Itē in eadem digressione reiectis modis dicendi beati Aug⁹. ⁊ aliorum Burgēs. imaginať aquā q̄ in ꝓncipio creationis fuit concentrica terre ⁊ vniuerso factam ecentri cam terre ⁊ concentricā lune: vt apparere posset arida: sed q̄q̄ sua imaginatio sit valde inuoluta: ad sensum tamen lr̄a lem modicum conferre videtur: nec fundat eam super aliq̄ auctoꝛitate sacri canonis sanctoꝝm doctoꝝm: vel alicuius pb̄i. Et multa huic imaginationi contingunt inconueniētia Primum quia ꝑm illam ⁊ aer ⁊ ignis ponerentur necessario elementa ecentrica: per egressionem enim aque necesse ē ae rem egredi: cum non habeat in sua sphera soliditatem resi stendi: ⁊ idem arguitur de sphera ignis. Secūdum: quia sic oꝛdo elementoꝝm a prima creatione institutus ⁊ inclinatio naturalis ad centrum vniuersi omnibus elementis indita ꝑm beatum Aug⁹. et ipsummet. Burgēs. cito cessassent q̄d ē contra Burgēs. ⁊ suum magistrum ꝓcipuuꝫ sanctū Tho. qui ideo reputat inconueniens lucem prima die factam sole facto quarto die redijsse in ꝓciacētem materiam: quasi in ꝑ ma rerum productione aliquid fuerit productum satis cito coꝛrumpendum: vt patet prima parte questi. lxvij. articu. vl ti. in responsione ad secundum argumentum. Nec videatur modicum inconueniens oꝛdinem illum quo ad naturam ele mentarem specialiter aque foꝛe coꝛruptum cum multi ponde ris sit oꝛdo ille: in quo etiam feda in se viderentur pulchra ⁊ valde bona: vt inquit beatus Aug⁹. iij. super Heñ. circa fi nem. Tertium: quia sic videretur natura aq̄ coꝛrupta. Pꝛo ꝓijs enim passionibus ⁊ naturalibus inclinationibus im mutatis: necesse est naturam immutari: cessante enim incli natione motus sui ad centrum vniuersi iam cessaret esse gra uis: cessante granitate cessaret esse frigida ⁊ humida: ⁊ per consequens cessaret esse aqua: nec valet instantia de aqua que est supra firmamentum que non est mobilis ad centruꝫ quia ꝑm Burgēs. in eadem digressione: illa dicitur quasi eā uoce aqua per quandam analogiā rōne diaphaneitatis: nō ratione granitatis. Est enim appetit⁹ naturalis grauis mo tus ad centꝝ intrinsecus ⁊ naturalis: vt docet beat⁹ Aug⁹. iij. super Heñ. ca. ix. ꝓpter hec ⁊ alia multa imaginatio sua non videtur posse stare: sed ⁊ mirum est q̄ nullus philoso phoꝝ qui de naturis rerum ⁊ earum connexione multa scri pserunt huiusmodi ecentricitatem videre non potuerint: qa de huiusmodi nulla scripta reliquerunt: ⁊ manifestuꝫ signū q̄ sphera aque non sit ecentrica: sed potius terre ⁊ vniuerso ꝓcentrica videť eē tale: q̄ cessante lege quā deꝰ posuit aq̄s et gyro vallāte abyssos: aq̄ naturaliť aridā absoꝛberet: vt ꝓz ī diluuio: de q̄ ca. viij. j. vbi etiam Burgēs. sibijpi condictio-

nem dic̃:cū aq̃ sit naturaliē fluida optet q̄ tpe diluuij orbicu
lariter se habuerit circa centr.i.terrā. Congregationis igit̄
aq̃r vt appareret arida ,put supra dictū est p̄ncipalis causa
est diuina volūtas:q̄ terminū posuit aq̃s:ne transirēt fines
suos:nec aq̃ p positionē talis legis detinet violenti:qz q̃uis
illa detentio sit contra inclinationē naturalē grauis ad cen
trū:nō tū obedientialē:fm quā dr̄ pōt facere q̄dlibet ex q̄li
bet. Itē i eodē ca. Burgen̄. querens occasionē cōtra postil
latorē:dicit eū recedere a bto Aug̃.in hoc q̄ dicit ad litterā
p celū nō intelligi angelicam naturam:vbi dico q̄ nec btūs
Aug̃ ad lr̄am sic videtur exponere:sed q̄ Burgen̄ . dic̃ talē
acceptionē esse pabolicā:nō videt vex.nam fm Britonē pa
bola differt a metaphora:t paradygma:qz fm Donatum vt
eū allegat Brito: Parabola ē rex genere differentiū cōpa
tio: t sic ponit semen ,p v̄bo dei:leo ,p xp̄o ꝛc̃. In ,ppōsito
btūs Aug̃.qz talē ꝓpationē exponēdo nō facit vt videt nō
est expositio eius cōpabolica q̄ solū hz locū i his vbi res signi
ficant nō voces ad auctor̄ intentū:t in illo casu pabolicus
sensus nō cōtinet sub lr̄ali:fz est vere lr̄alis:qz a spūsctō itē
tus.imo sensus pabolar̄ scdm significationē vocum sepe fal
sus est:vt patet Jud̄.ix.de lignis in consiliū ꝓuenietib9:t de
electione regis loq̄ntib9:t sic de aliis passib9 sacre scripture.
Ex q̄ bñ infert q̄ Burgen̄.in p̄mo articulo sue questionis p̄
ambule nō ponit sufficienter adeq̄tā rōnem sensus lr̄alis:cū
dicit q̄ adeq̃te sit ille q̄ a deo intendit̄:t p voces in lr̄a cōtē
tas significat̄. Debuit enī addere ,ppt̄ p̄missa aut p res voci
b9 exp̄ssas significat̄:t hic est vere pabolic9: q̄lis non appa
ret sensus bti Aug̃. de q̄ fmo pūs. Postillator igit̄ verum
dixit expositionē bti Aug̃.nō esse lr̄alem:nec p hoc recedit
a btō Aug̃.cui9 expositio poti9 videt allegorica q̄ paboli
ca:qz ex alio aliud intelligit̄. Ex celo ad lr̄am angelus p alle
goriā:vt patet i Glo.oz.in p̄ncipio ·H· q̄ttuor sunt regule:cū
etiā natura angelica t eius cognitio matutina aut vespertia
sint a sensu nr̄o valde remote:tō cadere vident sub fide: iux̄
vulgatū vt dr̄: Fides ē credere q̄ non vides. Sicq̄ ad alle
goriā eius expositio ptinet iuxta cōe dictū: Lr̄a gesta docet:
q̄d credas allegoria ꝛc̃. Huic igit̄ expositioni postillator nō
cōtradicit:fz eā q̄si nō lr̄alem dimittit:sic̃ t ipsemet Burgē.
Itez i eodē ca. vbi postillator mota questione:q̄re scd̄a die
facta nō dicunt bona sicut alijs dieb9:tres rūsiones adducit
quar̄ p̄mā dicit truphaticā:scd̄az abijcit tanq̄ nō fundatā:
tertiā approbat a Ra. Ba. acceptā.in q̄ passu Burgen̄. dicit
eū in trib9 deuiare a rectitudine:qz rationē sanctor̄ irreuerē
ter dicit truphaticā.scd̄o qz cōtra eos nō adducit validā ra
tionē.tertio qz verā responsionē attribuit infideli q̄ tamē in
nr̄a glo.ꝓtinet cui poti9 debuit honorē exhibere. Quo ad
p̄mū respondeo q̄ postillator nō truphat̄ de sctis doctorib9
fz impit̄ lectorib9:q̄ id ,p sensu lr̄ali eligūt.qđ sancti mystice
p q̄sdā pticulares cōgruentias adducūt: vt patet in mult̄ le
cturis sup Gen̄. Quo ad scd̄m dico q̄ ratio postillatoris
valida est ad ,pbandū q̄ binari9 nō est generaliter infamis
quia etiam laudabilis in scp̄tura repit̄. Est igit̄ illa rō sctor̄
fundata sup q̄busdam incōgruentijs binarij:nō sup ratione
eius essentiali:quia alias omnis binari9 esset infamis:qđ ef
ficaciter improbat ratio postillatoris. Quo ad tertium rō
lr̄alis quā postillator sumit a Ra. Ba. nō est in glo.nr̄a: vt
Burgen̄.dicit:fz glo.videt sentire oppositū illi9 rōnis lr̄al'.
dr̄.n.in glo.allegante Bedā sup illo verbo: Et vidit dr̄ ꝛc̃.
Pōdum terra germinabat:nec aq̃ animantia viua produxe
rat:t tū dr̄ deus videre q̄ esset bonum cedentibus aq̃s ap
paruisse aridā.quia vniuersitatis estimator̄ p̄euidens q̄ fut
futura:quasi iam pfecta laudat:que adhuc in primo operis
exordio sunt:qz apud eum rex pfectio non in cōsummatione
est operis:sed in p̄destinatione volūtatis. Hec glo. Si Bur
gen̄: t nobis cōis ē Glo.ordinaria mix̄ est qđ obijcit cū ipa
glo.ponat ad questionē p̄dictā hanc primā rōnem nō ex̄tiam
,put Burgen̄.fingit. Itē in eodē ca.cum dr̄: Protulit t̄ra
herbā ꝛc̃. Postillator dicit intelligendū esse passiue:qz acti
ue a solo deo hec virt9 germinandi fuit. Cōtra qđ Burgen̄.
adducit bñ Aug̃.dicentē. Causaliter dictum est ,pduxisse
terrā herbā lignū ꝛc̃.i.ad ,pducendū accepisse virtutem.
Ex q̄ dicto arguit Burgen̄.terrā etiā actiue ,ptulisse ibi i lr̄a
enumerata:sed nō videt Burgen̄.bñ inferre ex dicto beati
Aug̃.qz illa enumerata in lr̄a sunt subito producta in esse p
fecto:qz herbe habentes semen t lignū hñs fructū:in quib9
modis ,pducendi creatura nō potest actiue cōcurrere: quia
deus res sic condidit vt eas ,pprios motus habere sinat:p
pri9 aūt mot9 creaturar̄ nō est subitus nec ad terminū p̄mo
perfectū:sed

pfectum:sed via generationis est ab impfecto ad perfectum:
ideo Embrio primo viuit vita plante:deinc animalis: post
hominis:vt dicit Aris̄.de animalib9:imo generale est quod
primo perfectione est vltimū in via generationis t ecōuerso.
nec videtur concurrere in generatione plantarum t reliquo
rum nisi materialiter:nec potest hodie actiue concurrere: q̄a
ministrat solū materiam generationis:t quia materia est vna
de quattuor causis causaliter dicti potuit:protulit terra. et sic
dictum beati Aug̃.per Burgen̄.adductū accipiendum vide
tur.actiue aūt a solo deo p̄mo:t tunc per virtutem seminalem
inditam ab eodem vt sonat lr̄a. Ad idē glo.interli.t factum
est:glosa.causaliter:t ,ptulit glosa actualiter Itē in eodem
capitulo vbi postillator notauit sanctum Thomam dicentem
q̄ ex luce prima die facta corpus solis fieri non potuit: Bur
gen̄.in defensione sancti Thome:exardescens passionib9 per
mouetur:t dicit postillatorē dicta sancti Thome non vidisse
in hoc loco:qui tamen vt apparet clarius t magis intime vi
dit q̄ ipe Burgensis. Qui enim ad illa dicta sine passione re
spicit clare cognoscit:q̄ ꝓbatio tertie opinionis innitit̄ ei
dem medio sicut improbatio prime opinionis:illi videlicet q̄
quia nihil fuit in p̄cipio conditum cito post corrumpendū:
ideo lux prime diei sole facto non redijt in p̄iacentē materiam
Qr aūt probatio tertie opinionis innitatur eidem medio:pa
tet sic: Nam tertia opinio p eū adducta est illa q̄ corpus solis
quarta die factū sit ex luce prima die ,producta:hanc ꝓbans
idem sanctus Tho.dicit esse inconueniens si ponatur corpus
solis non esse de natura quattuor elementor̄:sed esse p natu
ram incorruptibilem:quoniam fm hoc materia eius non pōt
esse sub alia forma:hec ille. Ex qua obiectione duo sequi videt
tur. Primū q̄ ex illa luce sine sui corruptione corp9 solis fie
ri non potuit:quia materia solis nō potuit fuisse sub alia for
ma sine corruptione p̄rioris:cuius forme corruptio non erat
conueniens ,ppter medium per quod prima opinio fuit impro
bata:videlicet q̄ nihil fuit in p̄ncipio conditū cito post corrū
pendū.hoc intrinsecus postillator videns rationabiliē dixit
solem factum ex illa luce:non obstante obiectione sc̃ti Tho.
prima parte sum.q.lxvij.arti.vl.in responsione ad secundum
argumentum. Secundū quod sequi videtur ex illis dictis
est q̄ nulla materia existens sub forma p̄rioris potest esse sub
forma posterioris nisi prioris corrupta:ideo reprobat opinionez
tertiā:quia forma solis specifica formam lucis generificā nō
cōpatit̄:ideo ex luce non potuit fieri sol nisi forma lucis cor
rumpet̄:quod est inconueniens,ppter medium.per qđ prima
opinio scd̄m eum fuit improbata: t q̄ q̄ illud dictum incidit
in errores condemnatos Oxonie:inter quos habetur sic:di
cere tm̄ vnam formam substantialē in quolibet ꝓposito error:
tamen cum eodem dicto sanctus Tho.incidit in id quod im
probat:quando ponit aues t pisces factos ex natura elemen
torum:quia ex hoc forme elementorum positione formar̄ pi
scium t auiū fuissent corrupte scd̄m eum:t per consequens ali
quid in p̄ncipio ,producū cito post corruptioni fuisset obnoxi
um. Nec valet euasio Burgen̄.de parte t toto:quia scd̄m hoc
de aliqua portione lucis corpus solis productum fuisset sine
totius lucis corruptione. Itē in eodem ca. vbi de ,pductio
ne piscium ex aqua postillator dixit hanc ,pductionem actiue
esse a solo deo passiue ab elementis: Burgen̄.dicit q̄ causa p̄
ma non semper excludit actionē causar̄ secundar̄: volens cō
tra postillatorem:q̄ elementa etiā actiue ad ,pductionem pi
scium concurrerint sicut supra correctorio quinto de producti
one herbar̄ t arborū a terra:dicitur aūt hic sient ibi. In spe
ciali tamen dico q̄ si in rerum productione prima causa secun
darum causarum actionem non excludit:excludit tamen cer
tum modum agendi vel coagendi scilicet subito: in quo mo
do creata virtus coagere non potest:multo minus tunc.bene
igitur dictum est q̄ actiue a solo deo pisces t cetera a p̄ncipio
creata sunt. Itē in eodem capitulo vbi dicitur: Creauit de9
cete grandia:postillator reprehendit iudeos in Thalmudic̃
cōmuniter studentes:t simplices ex eis docentes et errātes
t errare facientes:quam reprehensionem Burgen̄. egreferēs
quasi adhuc affectione sanguinis iudaiçans dicit nō esse vti
lem talem reprehensionem:cum non omnes iudei sic errent:
t sic credunt nos fingere mendacia contra eos:t per conse
quens minus per nos poterunt ad fidem reduci. Respōdeo
ego q̄ non possunt estimare per nos confictum mendaciū qđ
clare sciunt in suis Thalmudicis contentum:t fortasse talis
reprehensio cooperatur ad eorum reductionem:quādo ex ea
vident suos magistros t apud iudeorum cōitatem auctenti
cos:ita male de beatitudine t futura vite sentire.

Igit̄ pfecti

Situr pfecti.s.et.t.Alchu.Nullomō dici potest:quō fecit dē celū ⁊ terrā.Sed hec expositio p ordinē diez indicat tangē historiā factaz rez: sz maxime obseruat pdicationē futuroz.Si quē mouet q in etatibus seculi due pme denis generationib⁹ explicant: tres sequentes singule.xiiij.sexta xo nullo numero generationū diffinit: facile ē videre etiā in vnoq̄ hoīe, infantiā et pueritiā q̄nq̄ sensib⁹ corpis ihērere. Quinari⁹ autē duplicat⁹ (qz duplex est sex hūan⁹ vñ generatiōes tales fiūt) denariū facit. Ab adolescentia xo vbi rō pualere icipit ī hoīe: accedit q̄nq̄ sensib⁹ cognitio ⁊ actio q̄b⁹ vita regit ⁊ administrat: vt sit septenari⁹:q̄ duplicat⁹ ppē duplicē sexum xiiij.generationib⁹ eminet:q̄s habēt tres etates:adolescēt'.s.iuuenis ⁊ senioris.Senect⁹ xo nullo ānoz termino finit:sz p⁹ illas q̄nq̄ etates q̄ntū q̄sq̄ vixerit senectuti ꝺputat. In hac q̄z etate seculi nō apparent generationes:vt etiā occult⁹ sit vltimus dies: quē dñs vtiliter latere mōstrauit. Igit pfecti ⁊c. Allego. Post illoz quasi sex dierū opa valde bona:speret hō requiē ppetuā:⁊ intelligat q̄d sit:requieuit dē⁹ die septimo ab opib⁹ suis:qz ⁊ ipe in nobis hec bona opatur:qui iubet vt opemur:⁊ recte quiescere ꝺz: qz p⁹ hec oīa opa requiē nob pstabit. Moralit Quō patrfamilias domū edificat cū fuietib⁹ facere imperat:⁊ p⁹ ab opib⁹ requiescere:cū pfecta fabrica iubet quiescere. Isis. Moralit: Habet vn⁹ quisq̄ nostz in nris opib⁹ ⁊ recta vita tangē distinctos istos sex dies:post q̄s debeat quietē sperare. Primo die lucē fidei:q̄n pmū visibilibus credit:ppē quā fidē dñs visibiliter appere dignat⁹ est. Secꝺo die factū ē tangē firmamentū disciplineː qꝺ discernit inē carnalia ⁊ spūalia opera sicut firmamentū inē iferiozes aq̄s ⁊ superiozes. Tertio die q̄ mentē suā ad pferēdos bonoz opez fruct⁹ pꝑat ⁊ erigit:sepata labe ⁊ fluctib⁹ tētationū carnaliū:tangē aridā trā hz: mētē videlicet tā q̄s a pturbatiōib⁹ mar': vt tā possit dicere: Ro. 7.b Mēte fuio legi dei:carne aūt fuio legi pcti. b Compleuitq̄ dē⁹ ⁊c.Aug⁹.Alia trāslatio.Consummauit dē⁹ die sexto opa q̄ fecit:que nihil questionis affert:qz manifesta sunt q̄ ī eo facta sunt. Sz fm hebraicā ꝛitatē q̄rendū ē quō dicat dē⁹ septima die op⁹ suū cōpleuisse:ī q̄ nihil nouū creasse dicitur:nisi forte ipm tūc fecisse:⁊ ī ei⁹ factura op⁹ cōpleuisse dicat:q eo facto mēsurā numerūq̄z pfecti diez:q̄z circuitu omnia scla voluunt.nā ī reuolutione idē ē octau⁹ qui ⁊ primꝰ. Cōpleuit igit die sexta op⁹ suū:addito.vij.quē sabbatū dici ⁊ esse voluit ⁊ mystica p̄ceteris bñdictione ⁊ sctificatiōe donauit. Uñ ⁊ dies iudicij:qz p⁹ septimā sabbatiuētura ē:octaua ī scriptur' dicta ē:qsi septē tm̄ ꝓcesserīt:dies q̄z resurrectionis dñi cū p⁹ tot diez milia ventura esset:octaua dicta est. Potest dici cōpleuisse deū die septia op⁹ suū:qz ipm bñdixit ⁊ sctificauit.op⁹.n.ē bñdictio ⁊ sctificatio:aliquid.n.operis fec̄ salamon:cū tēplū dedicauit. Hie. Jn hebreo habeē die septia. Artabim⁹ q̄ iudeos:qui de ocio sabbati gloriant:qz tā tūc ī pncipio sabbatū solutū ē:dū dē⁹ opat ī sabbato complens opa sua in eo. Cōpleuitq̄ dē⁹ ⁊c. Aug⁹. Queritur vtz illi sex dies pterierūt ⁊ addito septimo nūc p volumina tēpoz nō re sz noīe repetant:? In toto.n.tpe multi veniūt pterit' silles:null⁹ idē.Uñ dubitat vtz illi sex dies pterierīt? an istis vsitat' q̄ttidie trāscurrētib⁹ illi maneant in rez conditionib⁹?: vt nō solū ī trib⁹ añ luminaria: sed etiā in reliqs trib⁹ ītelligam⁹ diē in specie rei q̄ creata est:noctē in defectu vel puatione.cū.s.amittit spēs aliq̄ mutatione q̄ inest oi creature siue possibilitate:cū desit effect⁹:sic in celestib⁹ corporibus⁹:siue actu:vt ī trenis ⁊ mortalib⁹. Aespa aūt ī oīb⁹ pfecte cōditionis ēmin⁹ sit. Mane icipiēt' exoꝺiū:? Ois.n.creatura cert' initꝫs ⁊ finib⁹ cōtinet. Sz siue b:siue illō:siue aliud ꝓbabili⁹ dicat:pfecto numero diez.i.senario perfecit deus opa sua:q̄ mēsura ⁊ numero diez:⁊ pōdere disposuit.i.in se. qui ē mēsura: oīa rei modū pfigēs:⁊ numeros pbēs ⁊ spēm ⁊ pōd⁹:qz oīa ad quietē ⁊ stabilitatē trahit.oīa enī terminat formatː ordinatq̄s. Uel sic disposuit oīa:vt haberēt mēsuram numez:⁊ pōd⁹:sic ꝺz:de⁹ corpa ī colorib⁹ disposuit:nō vt colores ī se pz' habuerīt:sz vt ipa colores haberēt. Hec senarius numer⁹ ī⁹ pfect⁹ ē:qz sex diebꝰ de⁹ opa fec̄. sz ī⁹ perfecit opa sex diebus:qz senari⁹ ē pfect⁹. Sine his q̄ pfect⁹ cēt qui nisi esset perfectus:seꝺm cū pfecta nō fierēt. c Et requieuit deus. Beda. Nō q̄si opādo lassus:sz ab vniuerso ope requieuit:qz nouā creaturā facere cessauit. Requiescere.n.cessare ꝺz: vt ī Apocalypsi. Requiē nō hēbāt dicētia: Sctūs:sctūs:sctūs .i.dicere nō cessabāt. Apo.4.c Beda. Altius q̄z ītelligī requieuisse ab vniuerso ope suo.i. nō op⁹ hūisse illis opib⁹: ī quib⁹ requiescer et: cui⁹ requies ī semetipo vera ē sp sine initio ⁊ fine:sz sola bōitat' causa fecisse opa:q̄ ī ipo requiescerēt.hūa xo ādigētia q̄ttidie laborat: vt ī opib⁹ suis requiescat:dicēte deo: Jn sudore vultꝰ tui ve.p.t. Ps.8 Dē⁹ aūt nō habuit necesse ī creaturis suis requiescere:sz creatur' rōnalib⁹ ī se requiem dedit. A

